

BENEDICTVS VVAL ABBAS IN SCHVSSSENRIEDT.



Benedictus anno millesimo quingētesimo decimoquinto in Suevia natus & educatus fuit. Is cum præclara īdole esset præditus, parentibus uisum fuit, ut bonis studijs addicaretur. Itaq; pri-
mis artium fundamētis in patria perceptis, sese po-
stea Friburgum Brisgaudiæ contulit, atq; diligen-
ter operam literis dedit. Cum earum mediocrem
usum percepisset, ut commodius & religioni & li-
teris uacaret, adhuc adolescens sese ad monasteriū
Sueviæ Schussenriedt, non procul Biberaco, con-
tulit, & ibidem Præmonstratensium ordinem af-
sumpsit. Monasterium illud in Constantiensi dio-
cēsi fundatum erat ad fluuiū Schussen, Anno 1188,

in honorem D. Virginis Marie & S. Magni confessoris, à Berengario & Con-
rado baronibus de Schussenriedt, qui arcem suam ad eum usum conuerterūt.
In eo loco Fridericus primus fuit Præpositus. Verū tempore Concilij Basiliensis
Conradus Rauber 15 præpositus Abbatis priuilegia & ornamēta pon-
ticalia consecutus est.